

1. *Prophetae praedixerant, Hierosolymis, ubi omnia sacrificia, ex mandato Dei peragebantur, Messiam, tanquam omnium sacrificiorum veritatem, complementum, & antitypon, occidendum, & mandandum esse.*

*At Iesus, in quem nos credimus, Hierosolymis est mactatus.*

*Ergo hic Iesus est Christus, verus, & solus Servator noster.*

Argumenti huius expositionem, demonstrationem, & valorem ex ore ipsius Christi tradidimus in Postilla, *Dominica Esto mihi*, ubi vide.

2. *Prophetae praedixerant Messiam inter sceleratos reputatum iri. El. 53.12.*

*At Iesus inter duos latrones reputatus, & crucifixus est.*

*Ergo. Confer prophetiam, aut, si maus prophetiae huius expositionem, Luc. 22.37.*

3. *Prophetae praedixerant principatum Messiae fore super humeros eius. El. 9.*

*At Iesus in ligno moriens, omnes hostes suos domuit, prostravit & captivos duxit. Coll. 2.*

*Ergo Iesus est Messias.*

4. *Prophetae praedixerant, manus & pedes Messiae fodiendos, vestesque diuidendas, & sorti committendas esse.*

*At in Iesu crucifixo haec sunt adimpleta.*

*Ergo Iesus est Messias.*

5. *Prophetae praedixerant Messiam in cruce omnium ludibrio expositum, felleque, & aceto potionatum iri. Psal. 22. & 69.*

*At Iesus in cruce haec omnia expertus est, & sustinuit.*

*Ergo Iesus est verus, & vnicus Messias.*

6. *Prophetae praedixerant in eas angustias Messiam in cruce redactum iri, ut se à Deo derelictum clamitaturus sit. Ps. 18. 22. & 69.*

*At Iesus in cruce pendens in eas immersus est angustias,*

*Ergo in dubie hic Iesus promissus est Messias, mundi Saluator.*

Firma itaque, & inconcussa stat Christianorum in Iesum Christum crucifixum fiducia, omnium prophetarum, exactè comple-